



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Deipara in domibus sibi dicatus innumeros egentes, & ægrotos sublevat,  
n. 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

Psal. 79. Iudic. 6.

Psal. 75.

Bernard.

Primer. 31.

Deipara  
et  
sua  
filla.

Relig. 24.

Sua  
nata  
in  
verbo  
videt  
Maria.  
& Thom.

molire carebat, de stirpebat, hoc praesidio, & veluti munimento; ac proinde direptioni patebat, non secus ac possessio sine sepe, quam Psal. 79. *Extremam autem aper de sylvam, & singularis ferus depastus est eam.* Ideoque tunc iuxta illud, quod Iudic. 6. praefiguratum legitur, divina animi misericordia Ros solum in vellere erat: in omni autem terra siccitas, id est: *Notus tantum in Iudaea Deus,* Satanas vero princeps huius mundi in eo suam tyrannidem exercebat. At post huius benedictae mulieris praesidium totam mundi aream Ros divinae misericordiae complevit, & Satanas ejectus est foras alligatus a Christo. Qua de re patet Bernardus sermone de Aqueductu, (quem dicit esse Virginem sanctissimam): *Mirabatur,* inquit, *& Salomon, & veluti desperanti similis agebat, Mulierem fortem quis inveniet? Nimirum propterea tanto tempore humano generi sua gratia defuerunt, quod nec dum intercederet is, de quo loquimur tam desiderabilis Aqueductus.* haec Bernard. Hinc etiam est, quod *Maria Stella* dicitur, non solum ut ait Bonaventura in speculo B. Virg. cap. 3. *quia est purissima sine labe peccati, & quia est radiosissima* (ut verbis eius utar) *radium aeternum, id est, Dei filium, pariendo, sed etiam utilissima, dirigens nos ad patriam caelestem, tanquam ad portam per mare huius seculi amaram, & procellosam: nunc autem ipsa omnes invitat verbis illis Eccl. 24. Transite ad me omnes, qui concupiscit me, & a generationibus meis implentur, nimirum a bonis Christi, quem de castis visceribus meis genui, vel ut est Graece (quod in idem recidit)  $\alpha\pi\tau\epsilon\iota\ \tau\omicron\upsilon\ \gamma\omicron\upsilon\kappa\alpha\tau\epsilon\upsilon\alpha\upsilon$  hoc est a fructibus meis implentur; Christus enim est benedictus fructus ventris eius.*

Quoniam autem singuli beati ea omnia, quae ad ipsos, eorumque statum spectant, vident in Verbo, ut docent Theologi in 4. distinct. 45. & in 1. par. quaest. 22. & peculiariter S. Thomas in 4. distinct. 45. quaest. 3. art. 2. quaest. hunc. 1. & q. 8. de verit. art. 4. ad 23. & 2. 2. quaest. 83. art. 4. ad 2. & 3. par. quaest. 10. art. 2. in corp. ubi ex hoc infert *animam Christi Domini cognoscere omnia, quae Deus cognoscit scientia visionis: Quoniam ad Christum, inquit, & ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subiecta sunt omnia.* ita S. Thom. hinc infero B. Virginem, cum mater sit, ut diximus, iustorum, & praete-

rea Domina mundi, Regina Angelorum, & hominum, sit etiam Advocata peccatorum, videre in verbo quicquid Deus novit scientia visionis, ijs exceptis, quae ad Christum singulariter, & ad interiores animae ejus cogitationes pertinent, cum ad eam spectet nosse, quae ad nos filios, & servos, & quorum causam agit, pertinent. Quod egregie probat Franciscus Suarez. tom. 2. in 3. par. disput. 21. sect. 5. & citat Germanum sermone de Assumptione Spiritus, inquit, *tunc o Maria, visus in aeternum, omnia observans, omnia intus, & in speculo tua ad omnes se porrigit.* Nec tamen propterea Virginis cognitio cognitioni animae Christi aequatur: haec enim longe plura ex possibilibus cognoscit, & majorum claritate, ac perfectione, praeterquam quod Virgo, ut dixi, neque videt simpliciter omnia, quae cadunt sub scientiam visionis, quorum cognitionem integram soli animae Christi concedit S. Thomas q. 8. de verit. art. 4. in corp. & 4. dist. 49. q. 2. art. 5.

Suarez  
Germanus

S. Thom.

B. Virgo  
quia est  
mater nos-  
tra a jure  
suo inter-  
cedit pro  
nobis.

DEIPARA IN DOMIBVS SIBI DICA-  
tis innumeris egenis, & agro-  
tos sublevari.

**N**Eque solum Deipara, quae vel ad corporum inoluntatem, vel ad animarum salutem conducunt, benignitate erga nos plane materna apud Deum prociat in caelis: verum etiam in terris. Nosocomijs, Orphanotrophis, aliisque huiusmodi domicilijs in eius honorem per singulas ferè Vrbes excitatis, quibus amplissimi redditus ex piorum hominum elemosynis Dei, Deiparaeque intuitu sunt attributa, Agrotos propemodum innumerabiles, Infantes plurimos a tenuibus, egenisque parentibus expositos, Orphanorum Virginum, aliarumque Feminarum caritas alit, ac nutrit. Virgines item nobiles, dotis eis assignatae in matrimonium collocat, Pauperibus erogata subinde stipe succurrit: quae etiam iidem, dum quae corpori sunt necessaria suppeditantur, plurimisque ea quoque sedulo

Materiam  
B. Virg. est  
qua in do-  
mibus sibi  
dicatis e-  
gentes ad  
agrotos  
sublevari

sedulo procurantur, quæ animis sunt salutaria. Extant eius rei in singulis ferè vibibus monumenta; Talis est Romæ domus sanctæ Mariæ in Equiro orphanorum; tale ibidem Nocomium S. Mariæ à Consolatione; tale est Venetiis Xenodochium, antiquissimum illud quidem (vulgo dicitur S. Mariæ à Charitate) ab Alexandro III. Anno 1177. Pontificis indulgentiis illustratum. Tale est illud Florentiæ nobilissimum, quod vocant Sanctæ Mariæ Nouæ. Sepne in omnibus percentendis nimius v. deat, ea in medium afferam domicilia, quæ in vna Vibe Neapoli oculis nostris spectauimus; quorum annuos redditus expensas, capitum, quæ aluntur, numerum ex suppeditatione hoc ipso, quæ hæc præscriptimus, anno diligenter peruestigata hic adnotanda duximus.

*Domus B. Virginis Annunciate, ædificiorum magnitudine, ac structura adeo eximia, tam multis conferta familiis, tantoque conuictorum numero, vt ingentis oppidi instar esse videatur. Huius domus Annunciate templum magnificè est extractum Sanctorum corporibus, ac reliquiis in primis insignis, sacra suppellectili, ac penitromaus splendide instructum, atque ornatum; Sacerdotum, ac Clericorum cultu maximè conspicuum. Hac porò domus, vt perferutati diligentius deprehendimus; ex bonis, quæ vocant stabilia, & ex censibus redditus habet annuos ducatorum octo circiter, & octoginta millium: ex eleëmofynis verò incertis, quæ singulis annis hominum pietate in eam conferuntur, non exigua summa efficitur: At verò si sumptus spectemus, in quos id impendit, quod ex redditibus, & eleëmofynis percipitur, centè nisi res omnium, qui in ea Vibe degunt, oculis pateret, penè incredibilis videri posset. Nam, vt à templo exordiamur, in stipendium sexaginta Sacerdotum, & triginta Clericorum iuniorum, aliorumque ministrorum, in singulos annos ducatorum decem millia impendit. Nutricibus quater millibus, quas alit pro expositiis infantibus, soluit annuorum ducatorum sexdecim millia. Exijs Mares vbi adoleuerint omnes pro cuiusque genio, atque indole, alij mæchanicis artibus, alij literis, quibus se ipsi honestè sustentare possint, instituuntur. Fœminæ verò in eadem domo aluntur, suntque omnino octingentæ, ex quibus*

quadringenta circiter suam Deo virginitatem vltro addidere, reliquæ verò ibi educantur suo tempore pro earum arbitrio vel honeste collocandæ, vel etiam Deo consecrandæ: præter has quingentæ numerantur, quæ nobilibus, ac honestis matronis dantur in famulas, postea ab iisdem dote attributa nuptui tradendæ. Nocomium quoque per amplum habet, in quod omnes ægroti, qui vel febri laborant, vel vulnere saucij sunt (tametsi Turcæ, vel infideles) admittuntur, ij vt plurimum ad ducentos percingunt, aliquando etiam ducenti supra mille extiterit. Pro Nocomij sumptibus, & eleëmofynis, quæ pauperibus erogantur, alijsque eiusmodi expensis in singulos annos ducatorum septem supra quinquaginta millia impendit; census item propter æs alienum constat quotoannis ad quadraginta ferè ducatorum millia exoluit, quæ omnia cum annuos redditus excedant, partim ex eleëmofynis partim ex nouo alicuieno persolunt.

7. Neapoli quoque extat hospitalis domus Pietatis S. Mariæ de Populo quam vulgus appellat in curabiliom, in ea solent esse ægroti viri ad quadringentos, totidem quæ ferè mulieres, ad hos enim infirmos in inabili morbo laborantes folet adhiberi, vel etiam sanitati restituendos plurima exercentur munera Christianæ charitatis, præter hos etiam furiosos, seu amentes viginti, & eò plures ibidem nutrit, in Herculano verò (vulgo Torre dello greco) ægrotos circiter nonaginta, qui ethica febri laborant suis alit expensis. Veino autem tempore prope lacum Agnani mille circiter ægrotis, qui varijs morbis sunt affecti, & illuc ad iudatoria vaporaria propter morbos exu dandos confluunt, vitæ necessaria suppeditat. Ad eandem quoque domum spectat earum mulierum cœnobium, quæ à flagitiosa vita ad honestam, ac religiosam se se recipiunt (Conueritæ vulgus appellat) eæ quamvis numero ducentæ, ac septuaginta, victui tamen cultuique corporis necessaria eiusdem domus pietate, ac beneficentia, non requirunt. Qui ministrant ægrotis, atque alijs in rebus famulantur, octoginta octo numerantur. Huius domus Incurabiliom annui reditus ad sex, & triginta ducatorum millia. Eleëmofynæ autem ad summam duum circiter ducatorum millium singulis annis ascendunt.

Alia quoque domus in captiuorum redemptionem

*Charitatis munera, quæ in B. Virg. Annunciate domo præstantur,*

*Domo S. Maria à Iesu Redemptiois captiuorum.*

ptionem est excitata, cui nomen S. Maria à Iesu Redemptiois captiuorum. Hæc annuos habet redditus ducatorum quinque millia, & quingenta, & tertio quoq; anno certum hominem in Africæ Mauritiam dettinat, qui è Mahometanorum seruitute Christianos è Regno Neapolitano ortos fere octoginta vel centum soluta ad redemptionem pecunia affert in libertatem.

*Mons Pietatis Neapolitani.*

His adungi potest illud christianæ charitatis domicilium, quod vulgo dicitur Mons Pietatis, piorum hominum elemosinis Neapoli institutum; cuius est munus, pecuniam mutua gratitudinis dare, qui rei familiaris tenuitate laborant. atque in hoc christianæ pietatis, & charitatis opus ducenta, & quinquaginta aureorum millia perpetuò habet exposita. Ceterum, ut hæc sub Deiparæ patrocínio quæ omnis pietatis mater est, perfici intelligamus, in penitentiore eius domicilij parte satis magnificè constructi, sacellum eiusdem montis visitur, dicatum B. Virg. quam vocant pietatis; quæ è cruce, cui affat gemebunda filium exanimendum è cruce deponitur, expectat ut eum vulneribus plagisq; que concessum suo exceptum gremio materna pietate deplorat, ac lamentetur.

*Mons misericordiarum, quæ opera præstat.*

Extat & illud eadem in Vrbe domicilium, quod dicitur Mons misericordiarum à septè misericordiarum operib; que in alienis miseris Christiana commiseratione subleuandis, sedulo exercentur: id quod erectum est à se funditus excitatum, B. Virginii à Monte misericordiarum consecrarunt. Ab eius montis sodalibus nullum in proximos misericordiarum genus prætermittitur. Etenim ære alieno grauati è carceris custodia, persoluta creditoribus pecunia, liberantur; pauperes, quos pudor arceat à mendicando, elemosinis inuuantur; captiui è barbarorum manibus redimuntur; ægroti, qui in Nosocomijs præsertim Incurabilium decumbunt, singulis hebdomadis præscripto die inuisantur, cibo reficiuntur, eorum etiam obsequio, famulatuq; releuantur; tandem in Ænaria (ea nostro idiomate Ischia dicitur, Insula diuersarum aquarum calidarum, ac mineralium, varijs quoq; depellendis morbis opportunarum copia maximè celebris) ædes comparant rebus omnibus necessarijs instructas, in quibus religiosos viros, qui nullis redditibus, sed ex elemosinis victitant, aliosq; egenos

piè, ac benignè excipiunt, ijsq; victum, aliaq; necessaria verno tempore, quo eiusmodi aquarum balneis sibi remedia quæriunt, liberaliter subministrant. Neq; solum eiusmodi operibus corporum valetudini, sed animarum etiam saluti pro virili parte prospiciunt: nam & defunctorum animabus, quæ purgatorij igne expiantur, missarum sacrificijs, quæ plurima in suo potissimum templo facienda curant, frequenter opulantur; & nuper cum in ea vrbs parte, quam Mercatum appellant (id autem est satis amplum, ac præcipuum rerum venalium forum) altera professorum domus Societatis Iesu erecta esset, ad eos propius iuandos, qui illam Vrbs regionem incolunt: Montis huius sodales, ut omnes explerent Christianæ misericordiarum partes, duodecim aureorum millibus, templum nobis fundare decreuerunt. Intellexerunt nimirum viri sapientes quales, quantiq; animarum fructus ex ea Domo percipiantur in præsentia, & quam vberes sperentur in futurum. Atque hæc quidem omnia siue corporalis, siue spiritualis misericordiarum opera, tantam vniuersæ Ciuitatis approbatione exhibentur, ut meritò complures eidem Monti in tam pios vsus plurimam pecuniarum vim affatim elargiantur.

Nec tacitus præteribo congregationem Natiuitatis beatissimæ Virginis in Domo professa Societatis Iesu Neapoli erectam, quæ egenis, qui à mendicando, Pudore arcentur, secretis elemosinis subsidia confert. Sane hæc Congregatio id in se suscepit, ut modestiæ eorum, qui mendicare erubescunt, pro viribus opem ferat. Ac primo quidem corrogata inter sodales elemosina, quæ cum nec semper eadem, nec multorum egestati satis esse potest data ab ipsis sodalibus certa pecuniæ quantitate; Mons sub patrocínio beatissimæ Virginis anno humanæ salutis 1603 erectus, dictusq; Mons beatissimæ Virginis pauperum verecundorum, qui non nisi à sodalibus dictæ Congregationis administratur. Sed locus eidem Monti decretus extra domus professe ambitum, propterea quod quæ in nostris domicilijs præsertim in domibus professe eriguntur Congregationes, redditus habere minimè permittuntur. Atque hæc in eadem Domo professa scribente me Mons hic pauperum verecundorum annuos redditus habet aureorum ferè 1200 verecundæ pauperum indigentia addictos.

*Mons Dii-pare pauperum verecundorum*

A a a 3 Sunt.

Alia domus in quibus Virgines educantur.

8 Sunt in eadem Vrbe aliqua quoque beatificæ Virgini dicata domicilia, Orphanotrophica licet appellare, quod ingens in ijs Orphanorum multitudo innaturatur. Sunt & alia plura, quæ puellarum conseruatoria vulgus appellat, quod plurimæ illic puellarum alantur, & conseruentur. Et vt omittam domum Spiritus sancti, vbi virgines viginti supra trecentas, quarum virginis integritas parochitabatur: Domum est S. Eligij, vbi virgines numero quingentæ honestissimæ ortæ parentibus: Domum SS. Philippi, & Iacobi, vbi virgines omnino centum supra quinquaginta ex parentibus, qui senci item tractant natæ aluntur: domum S. Margaritæ, in qua viduæ commemorantur, eæ quatuordecim sunt; hic solum commemorabo domicilia sub B. Virginis nomine instituta, omillis etiam ex industria quamplurimis religiosorum, siue virorū siue mulierum cœnobijs sub Deiparæ tutela conditis, vbi frequens eorum omnium cœtus aspicitur, de quibus in Tractatu de templis agemus.

Orphanorū domicilia sub B. Virginis patrocinio Neapolit. instituta.

Primo igitur loco offert sese in suburbio, quasi in ipso Vrbs vestibulo Domus cum templo S. Mariæ, quæ à celeberrima illa, quæ in Pibeno est mutata nomen. Lauretana dicitur: illic Orphani pueruli cadenti amicti veste sustentantur, atque instituuntur sub disciplina Religiosorum Patrum Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ.

In media eadem Vrbe aliud exat domicilium Orphanorum, qui carulas induunt vestes, ij omnino sunt centum, ac septuaginta; aluntur sub cura eorundem Clericorum Regularium Somaſchæ, & iuxta, suam quisque indolem, vel literis, vel officio alicui addiscendo adieciuntur.

Exat, & alia puerorum domus, qui veluti erronei e nichijs abrepi triuijs, vbi omni humano præsidio destituti iacebant, in hac Domino fouentur, vestiuntur, educantur; ea à Deipara, sub cuius est clientela, est sortita nomen, dicitur vulgo sancta Maria à Columba pauperum Iesu Christi: puerorum aluminorum numerus ad sexaginta circiter excurrit.

Alia puellarum vey ginum domiciliosub praesidio Deipara.

Hactenus de pijs puerorum domicilijs: veniamus iam ad mulierum domus, in quibus puellulæ victitant, quarum aliquæ virginitatē ad finem vsque vitæ seruant: quædam vbi ad nobiles annos peruenerunt, assignataijs dotæ nuptui honeste traduntur.

Sancta Maria cognomento Visita pauperæ

Virgines alit quinquaginta quatuor supra ducentas.

Domus conceptionis B. Virginis apud Montem Caluarium, Virgines ferè quinquaginta quatuor.

S. Maria à Splendore Virgines numero quadraginta; & quamuis cum hæc scriberemus, nondum professionem emisissent: ea tamen sub regula S. Claræ asperitiam Cappucinos vitam sectantur, assiduis ieiunijs, & oblatione vestitu carnem macerant.

S. Maria à constantinopoli, quæ puellarum carum nuper admisit, Virgines numerat viginti tres.

S. Maria à Charitate mulieres quinque, & triginta. [ctoginta.

S. Maria Refogij mulieres quatuor, & o. S. Maria Succursus, mulierum, quas vocant Illumintas. In hanc domum admittuntur non tantum Virgines, sed etiam alie, quæ è flagitiosa vitæ naufragio ad honestatis portum appellantur; omnes in præsentia numero sunt ferè triginta quatuor.

Domus Duæ Mariæ Solitudinis Hispanorum (vulgo la Soledad) Virgines Hispanorum filias educat octoginta duas.

Alia quoque Domus B. Virginis cognomento à Carminello, mulieres hispanas, quæ à flagitiosa vita ad honestam se receperunt, admittit: hæc duodecim numerantur. Atque hæc omnia in vna Vrbe Neapolit. vt ex ea de reliquis Christiani orbis Ciuitatibus coniecturam capiamus.

Et hæc quæ satis apertè declarat sanctissimam Deiparam in omnium se te, quibus miseris, & imbecilles mortales iuuare posse, beneficiorum genus effundere, nihilq; non excogitasse, atque adiuuuisse, quo ad animi morbos, & corporis incommoda subleuaret.

9 Quantum porro præsidij à Deipara benignissima matre polliceri sibi possint eius filij, qui illius opem suppliciter implorant, facile declarant beneficia in eos etiam, à quibus non inuocatur collata, quos materno affectu tuetur, ac protegit; vt videre est in nuptijs Cana Galileæ, in quibus non requisita deficiente vi no à filio illud impetrauit: hoc enim cum stam Bernar, ser. 2. Dominica r. post o. 1700. 2. stauam Epiphaniæ his verbis expendit: Et Bernar. ipsa dico vobis charissimi si p'è à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitate nostra, quoniam misericors est, & mater misericordia. Nam si

compassa est verecundia illorum, à quibus fuerat iniuncta, multo magis compatiatur nobis, si pie fuerit invocata, sic Bernard. Ad hujus rei confirmationem sexcenta exempla afferri possent nos tantum commemorabimus illud, qui sub Iustiniano Imperatore, & Menna Constanti-nopolitano Episcopo, narrat Euagius suo tempore gestum, & toti orbi notum lib. 4. c. 35. de puero Iudæo, qui licet virginem sanctissimam non invocasset, per eam tamen ab incendio est servatus: Menna, inquit, temporibus miraculum editum fuit planè memorabile, vetus fuit consuetudo Constantinopoli, ut si quando multæ admodum particule puri, & immaculati corporis Christi superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerlerentur, easque manducarent. Quod cum factum fuit, filius cujusdam hominis Hebræi quidem opinione, arte autem vitrariorum, una cum pueris versatus est: qui quidem parentibus percontantibus ab eo causam moræ, respondit uti res se habuit, seque cum alijs pueris pariter comedisse. Hebræus bile, furore, & iracundia inflammatus in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum conjicit. Postquam verò mater puerum queritans reperire non potuit, passim per totam Urbem ibat, Deum cum gemitu obtestans, & flebilibus lamentis se dedens, Tū duo autem post ad ostium officinæ viri sui consistens luctu miserabiliter diuexata, nomine puerum compellat. Puer matris vocem ut agnovit, è clibano responsum dat, mater effractus foribus intorumpit, videtque puerum in medijs carbonibus candentibus consistentem illæsum ab ignis incendio, qui cum rogaretur, Quo pacto illa sùs mansisset: Mulier, inquit, veste amicta purpurea crebrò ad me venit porrexit aquam, qua carbonum flammæ corpus ambientes extinguerem, cibum, denique dedit quoties esuriebam. Qua re ad Iustinianum perlata, puerum cum matre lauacro regenerationis tingendos decrevit: patrem aut pueri, qui recusavit in numerum Christianorum a scribi, in Syris cruci suffigendum curavit hæc Euagius. Eandem historiam confirmat Gregorius Turonensis, qui paucis post annis, eodem tamen seculo vixit in lib. de gloria Martyrum cap. 10. ubi aliquanto explicatius illud de B. Virgine tradit: Cum enim, inquit, infantulum Christiani interrogarent, quale ei inter ignem fuisset umbraculum, ait: Mulier qua in basilica illa, ubi panem

de mensa accepi, in cathedra parvulum in sinu gestas infantem, hæc me pallio suo, ne ignis voraret operuit: unde indubitatum est beatam ei Mariam apparuisse. hæc Gregorius Turonensis, additque multos Iudæorum exemplo hoc in Urbe illa saluatos. eandem historiam memorat Glyc. Glycer. cas 4. par. Annalium.

QUÆ ERGO DEIPARAM A NO-  
bis præstanda.

10 Sed veniamus ad ea, quæ erga ejusmodi Matrem à nobis præstanda sunt, ne tot, tantisque ejus erga nos beneficijs ingrati planè sumus. Qua in re duo potissimum exequemur. Primum qua nam ratione priuata erga Deiparam pietate, atque studio singuli nos gerere debeamus, idque brevissimè: ubertorem enim, & integram ea de re tractationem, in secunda hujus operis parte, capite nimirum 34. & sequentibus instituemus. Alterum, quæ nam circa dies festos, templa, aliæque hujusmodi publico cultu in Deipara honorem faciendæ Ecclesia statuerit, ut debita filiorum officia erga eam rependentes, ejus majestati, ac beneficijs aliqua saltem ex parte respondeamus.

Et quod attinet ad primum, omnes magnum erga Deiparam affectum diuina alpirante gratia in nobis ipsis excitare, fovere, atque augere, idque quam primum abique illa mora conemur: sicut enim S. Iohannes, ubi à Christo è cruce pendente audiuit: *Ecco mater tua* charitate filij erga tantam parentem accensus, ex illa hora, hoc est omni cunctatione abjecta continud accepit eam in sua, id est in propria, hoc enim sonat græca vox *ἑστία*, ita & nos amorem Virgini, qualem filios decet erga talem matrem exhibentes, eam in propria cordis penetralia S. Iohannis exemplo admoniti, illico, nulla interposita mora per intimam erga eam pietatem, ac devotio-nem recipere nitamur; illud magnopere ca-ventes, ne peccata peccatis addentes hæc Vir-ginis filiatione prorsus indigni reddamur, nendè utilitatem, quam percipere ex ea possu-mus uberrimam per oscitantiam eladi patia-mur. Quocirca conscientie puritati, abster-sa omni peccati labe, in primis studeamus; eamque tanquam Dominam, ac matrem agnoscetes omni cordis studio diligamus,

Qua abhe-  
minibus  
erga Dei-  
param  
præstanda.  
Qua agen-  
da.

Quid sin-  
guli erga  
Deiparam  
exhibere  
dicunt.  
Statim de  
votio Dei-  
para exci-  
tanda.  
Ioh. 19.

Laegrius,

Adversus,  
qui eadem  
narrans  
historiam  
Gregorius  
Turonens.